

05# 449





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-724013-p0002-5

DFG

XVIII

ESSERATIO IN AVGVRALIS PHYSICO-CHEMICA
DE
METALLORVM
ANALYSI
PER
CALCINATIONEM

Q V A M

AVSPICE SVMMO NVMINE
CONSENSV ATQVE AVCTORITATE AM-
PLISSIMI ORDINIS MEDICI
SVB PRAESIDIO

D. IOANN. HENRICI SCHVLZE
MEDICINÆ ELOQVENTIÆ ANTIQVITATVM ET
PHILOSOPHIÆ PROFESSORIS PVBLICI
ORDINARII

ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATVRÆ CVRIOSORVM
ET REGIÆ SOCIETATIS SCIENTIARVM
BEROLINENSIS SODALIS

PRO GRADV DOCTORIS

A. d. Aprilis M DCC XXXVIII.

PUBLICE DEFENDET

AVCTOR RESPONSVRS

CAROL. LUDOVIC. NEVENHAHN
VINARIENSIS.

HALAE MAGDEBURGICAE
Typis CHRISTIANI RIEMERI, Acad. Typogr.



05 H 449

V I R I S
ILLVSTRBVS EXCELLENTISSIMIS AMPLISSIMIS
EXPERIENTISSIMIS, CONSILIARIIS, ARCHIATRIS, ME-
DICIS AVLICIS MERITISSIMIS LONGE
CELEBERRIMIS

DN.FRIDER.HOFFMANNO
COMITI PALATINO CÆSAREO, POTENTISSIMI
REGIS BORVSSIAE CONSILIARIO INTIMO, ARCHIATRO
PRIMARIO, ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ SENIORI, OR-
DINIS MEDICI PROFESSORI PRIMARIO, SOCIETATVM SCI-
ENTIARVM IMPERATORIÆ, BRITANNICÆ ET PRVSSICÆ
SODALI DIGNISSIMO, FACVLTATIS MEDICÆ h. t.
DECANO SPECTATISSIMO

**DN. JOHANNI GEORGIO
STEIGERTHAL**

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS BRITANNICÆ ET
ELECTORIS BRVNSVICENSIS ET LVNEBVRGENSIS CON-
SILIARIO ET ARCHIATRO FIDELISSIMO, COLLEGII REGII
MEDICORVM LONDINENSIVM SODALI DIGNISSIMO
ATQVE IN ACADEMIA IULIA PROFESSORI
ORDINARIO CELEBERRIMO

DN.JOH.AVGVSTO HVGO
MAGNÆ BRITANNIÆ REGIS ET ELECTORIS BRVN-
SVICENSIS ET LVNEBVRGENSIS A CONSILIIS ET AR-
CHIATRO LONGE CELEBERRIMO

**DN. ALBR. LVDOVICO
CHAPVZEAV**

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS BRITANNICÆ ET
ELECTORIS BRVNSVICENSIS ET LVNEBVRGENSIS AR-
CHIATRO PERITISSIMO LONGE CELEBERRIMO

DN. WILH. AVGVSTO
LA ROSE

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS BRITANNICÆ ET
ELECTORIS BRVNSVICENSIS ET LVNEBVRGEN-
SIS ARCHIATRO FIDELISSIMO LONGE
CELEBERRIMO

DN. PAVLO Gottlieb Serlhoff
MAGNÆ BRITANNIÆ REGIÆ ET ELECTORIS BRVN-
SVICENSIS ET LVNEBVRGENSIS MEDICO AVLICO
DIGNISSIMO FIDELISSIMO

DN. ERN. CHRISTIANO
EBELL

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS BRITANNICÆ ET
ELECTORIS BRVNSVICENSIS ET LVNEBVRGEN-
SIS MEDICO AVLICO PERITISSIMO DI-
GNISSIMO QVE

VT ET
VIRO SVMME REVERENDO GRAVISSIMO
DOCTISSIMO

DN. MICHAELI CONR.
SVSSEROTT

INSPECTORI COMITATVS HOHNSTEINIENSIS ET
ECCLESIÆ ELBINGERODANÆ CIVITATIS PASTORI
PRIMARIO MERITISSIMO VIGILANTISSIMO AD-
FINI SVO MAGNOPERE COLENDO

THEMA HOC ACADEMICVM, IN DEVOTI ANIMI
TESTIMONIVM, AC VLTERIOREM SVI COMMENDATIO-
NEM, CVM OMNIGENÆ PROSPERITATIS VOTO
SACRV M ESSE CVPIT

AVCTOR.





PRO O E M I V M .



Cturo de metallorum analysi per calcinationem, fluctuantes opinio-
nes viorum exquisitæ eruditio-
nis menti sese offerunt, quæ me-
tum haud levem incutere possunt.

Quemadmodum enim Ars Machaonia, quando
læsiones artificiosissimæ machinæ nostræ huma-
næ, medelis præsentaneis resarcire, & morbos
quoscumque cito, tuto & jucunde exturbare de-
bet, ob insufficientem medicaminum notitiam
& operandi modum in individuo grave im-
pedimentum subinde percipit, quod salutarem
morbi decursum & præclaram spem medentum
haud raro intercipit; ita in ipsa pariter Chemia,
quæ circa prima principia & mixtiones corpo-
rum naturalium occupata est, quæque in Medi-
cina, si de principiis & causis rerum lædentium
ac juvantium materialibus quæstio est, plerum-
que in subsidium vocatur, variæ multæque adhuc
agitantur opiniones, ex quibus deinde discre-
pantes doctorum sententiæ, de effectu hujus vel
alterius medicamenti in medicina practica resul-
tant. Nemo sane prudentum pro sententia, quæ

non solum in ancipi versatur, verum etiam ad irritum revolvitur, strenue militabit: nec omnia pro certis & ex Apollinis quasi tripode dictis credenda ducet, quæ viri, quibus insignis eruditio famam immortalem conciliavit, confirmant. Dubiarum sententiarum speciminibus illam merito adponendam esse existimo contentionem, quæ chemicorum vera principia materialia concernit. Illa enim multorum sane torquet ingenia; siquidem alii cum Helmontio, aquam, alii cum Paracelso sal, sulphur & mercurium, alii cum BECCHERO & Stahlio aquam & terram pro principiis agnoscunt, alii aliter sentiunt & sententiam quondam excussam recoquunt. In praesentiarum quidem nequaquam animus mihi est, singulas veterum opiniones de principiis corporum materialibus recensere, sed tantum, quum in eo sit, ut studiis academicis ad finem jam perductis primitias studiorum publicas orbis eruditii examini submittere debeam: decrevi calcinationem metallorum chemicam, aliaque inde deducenda notatu digna, secundum fundamenta BECCHERI prolixiori scrutinio, speciminis loco inauguralis, subjicere. Faxit sumum Numen, quod humillime precor, ut ex voto succedant conamina.



§. I.

Corporum omnium sublunarium triplicis naturæ regni analysis, Syncrifi & diacrisi inititur. Diacrisis corporis ejusdam mixti compositi aut decompositi vel superficialem vel centralem, seu intimam resolutionem denotat. Syncrasis vero, quæ diacrisi opposita est, novam iterum combinacionem principiorum miscibilium exhibit. Hæ maximi momenti operationes, necessario præsupponunt exactam cognitionem principiorum mixtorum corporum, quæ ex principiis miscilibus componuntur; nec non adæquatam instrumentorum applicationem, ad dirimendam vel componendam mixtionem artificialiem. Cum itaque ipsa corporum naturalium triplicis regni analysis addiscenda sit ex principiorum certorum cognitione, quæ generationi & productioni corporum naturalium inserviunt, & in quæ per artem chemicam ultimatim resolvuntur; ea, qua fieri poterit, brevitate de principiis corporum materialibus, differere constitui, quo eorundem natura & vera destructionis causa, ex iisdem deducta principiis, cum instrumentis & operandi modo circa mixtionis destructionem melius innotescant.

§. II.

Regnum metallicum, quod in præsenti tractationis obje-

objectum sistit, complectitur tam ipsa metalla perfecta, aurum & argentum, & imperfecta, ferrum, stannum, plumbum, & cuprum, quam corpora sic dicta metallica, quæ incompleta sive mineræ appellantur. Metalla, secundum vulgarem notionem, denotant corpora dura terreæ indolis, opaca, splendentia, malleabilia, igne fusibilia, ex principiis vel homogeneis vel heterogeneis constantia, quæ cum diversimode mixta sint, evadunt plus vel minus ductilia & malleabilia: & ex hoc fundamento in imperfecta & perfecta dividuntur. Hæ differentes metallorum qualitates tam ipsis metallis quam corporibus sic dictis metallicis competent, ita tamen ut metallicis corporibus durities, friabilitas, aliqualis splendor &c. metallis vero perfectis æque ac imperfectis malleabilitas, ductilitas, fluxus igneus convenient. Discrepantes jam recensite qualitates, cum variis mutationibus quas in analysi chemica ostendunt, procul dubio firmiori nexui principiorum terreorum, genuinum mixtum metallicum constituentium, adscribenda erunt; si quidem quorundam gravitas specifica, ductilitas, extensio in tenuissima filamenta, ex ipsa combinatione vel laxiori vel firmiori, ex principiis vel homogeneis vel heterogeneis, vario modo ac numero conjunctis, deducenda veniunt, adeoque necesse erit, ut ipsa metallorum principia paulo accuratius consideremus.

§. III.

Principium, si syncrisin & diacrisin spectemus, in arte spagyrica a priori & posteriori definitur. Chemicus enim illud sub principii nomine complectitur, quod corpori vel mixto vel composito existentiam dedit, quodque, diacrisi facta, per diversas operationes chemicas denuo producitur. Cavendum tamen erit, ne illud pro indubitate metallorum principio illico agnoscamus, quod per simplicem quandam operationem, ut calcinationem, sublimationem

tionem inde elicetur. Illi proinde optime cognitioni principiorum satisfacere videntur, qui illud chemicum vocant principium, ex quo corpus initium sumit, & in quod ultimatum per artem resolvitur. Nemo vero, qui leviter tantum in Chemia versatus est, ex corporum plurimorum metallicorum contemplatione aliter judicare potest, quam quod in metallico regno, quod corpora solida gravia terreæ indolis continet, similia deprehendantur principia, quæ firmorem & genuinam mixtionem efficere possunt, quæ scilicet sunt subtilissima terrea. Ejusmodi nimirum principia, ante mixtionis statum præsumuntur ut entia summe subtilia, quæ, cum plerumque post factam accretionem seu mixtionem alterata sint, in priorem simplicem statum vix arte reduci possunt.

§. IV.

Omnium igitur corporum originem ultimamque resolutionem, ut proprius ad rem ipsam accedam, Beclero præeunte, * deduco ex duobus principiis aqua scilicet & terra, quæ principia cum in artificiali syncrifi & diacrisi, per experimenta rite instituta cognoscantur, pro veris principiis omnium corporum haberi possunt. Aqueum quidem principium, quod corporibus regni animalis & vegetabilis magna ex parte immixtum est, in regno minerali aut potius metallico nullum ferme ingressum inventit, nisi quod in quibusdam speciebus hujus regni, vehiculi loco, solidiori terreo principio inserviat, & post reliquorum factam accretionem removeatur, aut si remanet, spatiola terreorum principiorum, post accretionem relicta, occupat: ipsam vero mixtionem non ingreditur ut constitutivum principium. Metalla proinde corpora terrea solida, compacta, ponderosa miscentur & componuntur ex principiis terreis homogeneis, vel heterogeneis, quæ

B

genui-

* Conf. phys. subt. sect. 3. lib. I. cap. I. it. Opusc. Chem. pag. 105. §. 8.

genuinam & firmiorem mixtionem metallicam efficere possunt, quæque ob firmiorem nexus particularum terrarum difficultime potest destrui.

§. V.

Principium terreum, quod ad metallorum generationem præcipue concurrit, unicum esse nequit: siquidem nulla fieri potest mixtio ex uno, quoad numerum, principio, & in analysi metallorum chemica, vario modo instituta, diversæ terrarum species prodeunt, quæ quo ad gravitatem, colorem, naturam valdopere inter se differunt. Propterea ille rerum chemicarum indagator experientissimus BECHERVS*, experimentis certis suffultus, recte triplicem terram constituit, quam in vitrificabilem, quæ basis est, ignefcibilem & mercuriale dividit. Primum terreum principium quod concernit, illud matricis seu receptaculi loco reliquorum subtilium principiorum, & ad metallicam mixtionem concurrentium, infervit, quo etiam absente, reliqua penetrantissima accretionem respunt. Imo illud non tantum matricem in terræ gremio exhibet, verum etiam ad intimam mixtionem metallicam, ut ingrediens principium, confert, deindeque cum reliquis per ulteriore accretionem firmissime conjungitur. Primum hoc principium, quatenus matrix est, & reliqua subtilissima in mineris vagantia arripit & excipit, secundum proportionis gradum in ipsa mixtione mutationem patitur, & tunc mixti corporis principium vocatur, siquidem si prima terra in aliquo mixto metallico excedit, producitur corpus opacum, ex propria natura terrei principi, si alterum excedit, inflammabile, metallum multo sulphure imprægnatum dignitur, si tertium reliqua superat in mixtione, metalla evadunt malleabilia & ductilia. Metalla vero quovis modo, per sicca & humida solventia examinata, tandem in vitrificantem aut calcaream substantiam fatiscant, quæ

primum

* Phys. subr. p. m. 103.

primum hoc principium involvit. De cetero, prima terra in fodinis & speluncis metallicis, sub facie lapidis albi friabilis, a metallicolis effoditur, quem prædicta principia, in vaporis forma vagantia, penetrant, & cum illo prædictam metallicam soliditatem nanciscuntur. Quamdiu igitur lapis est, a metallicolis vocatur *gelinder Quartz oder Schiefer*, qui mineris & metallis difficile fluentibus per stratificationem adjicitur.

§. VI.

Alterum, quod in ordine succedit, principium est ignescibile seu unctuosum, pro metallorum anima habendum; terreum quidem ex propria natura est, sed subtilissimum, & superficiales & centrales mixtiones ingreditur, quod etiam in metallorum resolutione per ignem, ex flamma diversimode colorata & fuligine subtilissima cognoscitur. In quibusdam corporibus, quorum mixtiones largiter ingreditur, igneum motum facilime recipit & promovet; hinc metalla, Vulcani torturæ exposita, propter abundantiam inflammabilis purissimi principii aquæ instar fluunt, verum ob summam suam subtilitatem facilius a reliquis principiis separari potest, ut hæc metalla tandem in pulverulentam substantiam abeant. Plerumque abundat hoc principium in metallis sic dictis imperfectis & adhuc magis in incompletis, quibus levius inhæret, excepta aliqua portione, quæ in omnibus metallicis corporibus intime immixta deprehenditur. Siquidem metalla per longum temporis intervallum in igne detenta, & a superfluo inflammabili principio liberata, tandem in vitrum coloratum abeunt, id quod præparata vitra metallicæ, & color cœruleus in veneris calcinatione, per se aut per additamentum instituta, testantur. Quodsi nostrum principium secundum aliis crassioribus terris calcaris, quas acidum primigenium largius ingreditur, im-

miscetur, producuntur corpora difficilime in igne fluentia. Obvenit id ipsum ignescibile principium s̄epissime in fodinis & speluncis metallicis sub vaporis forma, quem metalli fossores vulgo *den Berg-Schwaden* it. die *Einwitterung* vocare solent.

§. VII.

Progredior jamad tertium principium, difficilius, quam priora, demonstrandum, quod mercuriale seu metallificans vocatur. Cognoscitur præcipue in minerali regno ex metallorum ductilitate, malleabilitate, splendore & ponderositate. Reliquas qualitates, quæ hisce suppositis principiis, præcipue tertio, conveniunt, brevitatis causa omitto, præsertim cum specialior thematis tractatio non nulla suppeditatura sit, quæ horum BECCHERIANORVM principiorum existentiam & naturam, in analysi per calcinationem confirmare possunt, quam mox, paucis adhuc de principiorum mixtione in metallis præmissis, per tractabo.

§. VIII.

Memorata tria BECCHERIANA principia summe subtilia, extra mixtionem non cognoscuntur. Siquidem summa eorum subtilitas, cum mobilitate, omnes fere chemicas operationes, ad eorundem existentiam institutas & instituendas, eludunt; hinc plerumque fit, ut, dum diacrisin molimur, ad syncrisin statim deveniamus: in supercum extra mixtionem & compositionem per se non subsistant, in ipsa mixtione pura vel impura deprehenduntur, hinc ob insufficientem instrumentorum subtilissimorum cognitionem, aut forsan quoque defectum, quibus mixtio subtilissima homogena dirimitur, in tali statu, quatenus metalla ipsa præparant, visui sese subducunt; quatenus vero ut principiata principia considerantur, post ultimam mixti corporis resolutionem apparent.

§. IX.

§. IX.

A coalitu interea principiorum minimorum dependet mixtio, quæ nihil aliud est, quam principiorum numero & specie differentium conjunctio. Mixtio hæc iterum est vel superficialis, vel centralis seu intima. In superficiali mixtione principia facile iterum separantur: in centrali vero arctissimo vinculo combinantur, & artifici, si resolutionem intendat, multum faceffunt negotii. Quod mixtionis modum cum ratione attinet, qua nempe principia ante statum accretionis & mixtionis volatilia subtilissima terrea, sub ipso mixtionis actu congregantur, de iis certum quid affirmari non potest. Interim cum ante generationem metallorum tria principia summe subtilia sint; postea vero longe alia apparent, conjicimus, quod præsentibus principiis miscibilibus, diversis quoad numerum & speciem, unum alterum quasi excipiat & foveat, vel iterum ex mixtione, si aliud quoddam justo majori quantitate accedat, demum exturbet, præcipue cum priora statum accretionis jam sustinuerunt. Hanc particularum indivisibilium combinationem pariter agnoscunt viri in physicis & chemicis versatissimi, experientissimus BECCHERV, & excellentissimus STAHLIVS. Prior asserit*, quod mixtio sit *principiorum conjunctio seu combinatio*: Posterior ita de mixtione sentit: ** *Die Mixtio ist eine Zusammensetzung sehr vieler, der Natur nach allerkleinesten, und de facto untheilbaren particulgen: it. Die Mixtio besteht in einer Verbindung vieler Dinge unterschiedener Art, zu einen unempfindlichen corpusculo. Quod itaque ex particulis ejusmodi actu indivisibilibus miscetur, audit mixtum, si ve principium secundum. In quantum autem principia*

B 3

homo-

* Conf. Phys. subt, lib. I. sect. IV. c. II. p. 187. no. 1.

** vid. Einleitung zur Grund mixtion membr. I. p. 80. & 87. it, Fund. Ch. D. R. artic. I. p. 7. §. 5.

homogenea per intimam appositionem, motus extranei beneficio, conjunguntur, provenit mixtum homogeneum centrale, quod ordinatam & convenientem particularum minimarum conjunctionem involvit. Distinguitur mixtio ab aggregatione, quæ nihil aliud est quam multarum particularum homogenearum & heterogenearum congregatio. Mixtio iterum quoad principiorum numerum variat; alia quippe ex duobus; alia ex tribus principiis componitur; deinde compositum corpus ex mixtis numero & specie diversis; & decompositum ex corporibus jam compositis exsurgit.

§. X

Ex metallorum familia duo tantum eminent metalla nobilissima, quoad principiorum homogeneorum in sua specie mixtionem, perfectissima. Aurum, rex metallorum, ex tribus simplicissimis principiis compositum est; tertium enim mercuriale, quod sub terræ fluxilis nomine venit, intime coniunctum est cum terra inflammabili, quæ colorem suppeditat. Ex intima horum principiorum implicatione resultat ductilitas, summa extensio in tenuissima filamenta, malleabilitas & fixitas in igne. Argentum, alterum ex nobilissimis metallis, similiter tria terrea homogena continet principia, in eo tamen ab auro differt, quod majorem terræ primæ & secundæ portionem contineat. Metalla imperfecta, a puritate principiorum deflectunt in impuritatem, quæ in receptione terræ calcareæ, aut sulphureæ impuræ coloratæ consistit; e. g. Ferrum participat de impuro sulphure, tanquam mixto ex accido universali primigenio, & terra prima, tertia vero mercuialis minus sufficienter adest. Cuprum multum sulphurei principii possidet in aggregato, quod ex deflagratione & flamma colorata cognoscimus. Stannum terram albam calcarrem suscepit & impurum arsenicale principium ex noci-

vo

vo odore desumendum. Plumbum terræ vitrescibilis impuræ magnam quantitatem continet, cui impurum arsenicale inflammabile jungitur.

§. XI.

Syncrisi opposita est diacrisis, altera chemica operatio generalis, per quam particularum corporis mixti, compositi aut decompositi debita & convenienti instrumentorum administratione, separationem intelligimus. Ipsa dissolutio difficilime impetratur, partim ob firmam principiorum combinationem, in genuino mixto, partim quia aliquid de solventis substantia tam humidi quam siccii, mixto corpori tenaciter adhæret & novam iterum mixtionem componit v. g. Aurum in aqua fortí regali solutum in tenuissimas quidem particulas dividitur; at intima mixtio non tollitur, sed tantum ejus aggregatio quippe post salis lixiviosi soluti instillationem, quod cum acido solvente liquorem mediæ naturæ componit, aurum denuo in forma pulverulenta ad fundum detruditur, quod insimul non nullas particulas præcipitantis ad fundum rapit: sic syncrisis & diacrisis superficiales exacte procedunt: diacrisis in limpida solutione per aggregati sublationem, & syncrisis in nova compositione auri fulminantis, ubi aurum, per simplicem manipulationem, cum borracis pauxillo restituitur.

§. XII.

His præmissis specialius nunc de calcinatione metallorum acturus sum. Per calcinationem intelligo illam chemicam operationem, qua corpora metallica per convenientia menstrua tam generalia quam specialia dissolvuntur & ad pulverulentam substantiam perducuntur.

§. XIII.

Calcinatio in latiori sensu significat transmutacionem

nem metallorum * sive metalli vilioris in statum perfectiorem conversionem , quæ ope tincturæ siccae aut humidæ evenit. Hanc Philosophicam calcinationem , quæ per putrefactionem & radicalem solutionem contingit , cum alterioris sit indaginis , hoc loco non attingam ; sed intelligo tantum vulgarem chemicorum calcinationem metallorum , quando scilicet metallum , peracta operatione calcinationis , formam suam externam exuit , splendorem , colorem & ex parte gravitatem amittit , & in cineres , calcem , crocum aut flores abit . Distinguo etiam calcinationem a sic dicta philosophica trituratione aut pulverisatione , si quidem non omnia metalla , sine additamento in talem pulverem , qualem intelligo , reduci possunt . Metallum tale , quod per instrumenta generalia & specialia in calcem convertitur , vocatur calcinatum . Calcinationis operationem Chemici deducunt a præparatione lapidis calcarei , qui , per longum temporis spatiū in igne vehemenissimo crematus , porosus & friabilis redditur : & licet omnis falsedenis & corrosionis ante calcinationem expers sit , peracta demum calcinatione corrositatem acquirit . Pari modo metalla solida & compacta corpora , ignis vehementiam & corrosivorum solventium vim nondum perpessa , nullum veneni aut noxiæ indolis vestigium exhibent , postea vero , quando mutata est textura , & particulæ quædam afferuntur , aliæ interponuntur , ex medicamento in venenum haud raro degenerant . Ut plurimum metallorum calces specificam gravitatem retinent , quæ tamen , pro solventis diversitate , augetur vel imminuitur . Calcis metallorum denique a calcibus vegetabilium & animalium differunt quippe quæ nullam , ut posteriores illæ , effervescentiam cum acidis subeunt , monente STAHLIO . ** ***

§. XIV.

* Conf. Castelli Lex. med. p. 121.

** Conf. Fund. Ch. D. R. & Exp. Sect. II. membr. pag. 13.

§. XIV.

Calcinatio in genere plures adhuc species comprehendit: videlicet *incinerationem*, quæ tamen, accuratius loquendo, tantum circa corporum vegetabilium & animalium calcinationem locum obtinebit: *Reverberationem*, quando metallica corpora in aperto flammante igne calcinantur. *Cæmentationem*, ubi metalla & mineræ per additamentum compositum salino-terreum, vulgo *figier Fluß* in occluso vasculo in igne tractantur: *Detonationem* ubi metalla similiter ac mineræ per additamentum salium celeri motu igneo comminuantur, quæ operatio alias calcinatio detonatoria a chemicis vocatur. Omitto reliquas species, ut *amalgamationem*, *sublimationem* &c. quæ omnes in genere ad calcinationis operationem pertinent. Ex his diversis operationibus diversa producita emergunt; e. g. Ferrum in igne reverberatorio detenutum, in subtilissimum crocum resolvitur; stannum in cineres albos, plumbum in rubros seu minium vertitur. Præcedentes operationes per solam viam sicciam instituuntur; verum cum metalla etiam per menstrua humida ad calcis formam redigantur; hinc secundum consuetudinem scholæ chemicæ calcinationem distinguo in sicciam & humidam.

§. VX.

Humidæ pariter & siccæ calcinationi exponuntur omnia corpora metallica, quæ ex terræ visceribus eruuntur, si prius a lapidibus adhærentibus liberata fuerint. Mineræ quoque rapaces arsenico divites, vulgo *Wilde Ertze*, prius per additamentum aut repetitam ignitionem & extinctionem in urina emolliuntur, deinde ulteriori liquefactioni aut calcinationi committuntur. Sulphureæ quædam mineræ, ut antimonium, superfluum impurum inflammabile principium in igne dimittunt, calcemque aut par-

C

tem



tem metallicam regulinam offerunt si substantiae pinguedinosae, aut salia adjiciuntur.

§. XVI,

Sicca calcinatio, si solius interventu ignis peragitur, proprie vocatur comminutio, si vero per additionem salium, cum sulphure inflammabilium, aut aliorum efficitur detonatio audit. Humida calcinatio constituit solutionem sive extractionem, quando nimis particulae quadruplicatae per menstruum fluidum separantur, quae similem gravitatem specificam cum solvente adsumunt, vel tamen ad tempus adsumisse videntur. Illud autem quod ex solutione spontanea aut coacta ad fundum iterum dejicitur in genere præcipitatum vocatur, aut calx si metallum adsumtum est. In corporibus metallicis laxioris, texturæ, calcinationem facilius sicca quam humida via perficimus.

§. XVII.

Ignis non solum ad generationem in terræ gremio, verum etiam ad destructionem corporum mixtorum confert. Quotidiana ferme edocemur experientia, quod diversa metallica corpora, torturæ Vulcani exposita, vel fixa subsistant vel in auras abeant; proinde non immerto ignem, pro universali instrumento omnium chemicorum operationum, agnoscunt Chemici *

§. XVIII.

Ignis, cuius effectum ex resolutione corporum superficialis & intimæ mixtionis cognoscimus, supponit materiam summe subtilem mobilem in aggregata, quæ interstitia corporum pervadit & mixtionem recludit. Multorum haec tenus torsit ingenia ignis materia ejusque subtilitas; & sunt sane qui aperte dicunt: nescire chemicos quid sit ignis.

* Boyleus in *Chemista sceptico*, quo sensu ignis genitum mixta corpora resolvendi instrumentum sit.

gnis*: sed liceat mihi in præsenti amplecti sententiam beati STAHLLI**, qui per ignem *aggregatum particularum summe mobilium intelligit*. Ignis itaque qui sensibus nostris sese quotidie offert, continet saltem materiam subtilem, quæ veræ ignis materiae pabuli loco inservit. Ignem autem aggregatum esse ex corpusculis minimis, motus ejus rapidissimus & velocissimus ostendit, qui in subitanea agitatione & commotione fluidi ætherei, cum simili subtili materia, ad celerrimum motum subeundum aptissima, consistit. Hæc autem materia subtilis, secundum inflammabile principium BECHERI involvit, quod respectu sensus nostri non cognoscitur nisi ex aggregato, quod denotat congeriem corporis corporum in ultorum minimorum, quæ, levi ab extra accedente causa commovente & impulsiva, ad similem motum velocissimum suscipiendum apta existunt. Siquidem, si visibilem ignem subtilissimæ particulæ efficiunt, necessario quoque cum subtilissimis corporis mixti particulis, ex similitudine quadam congregari debent. Hinc corpora imperfectæ mixtionis, a motu ignis velocissimo faciliter solvuntur. Causa hujus subitaneæ solutionis, in minimis particulis sulphureis, quæ ejusmodi corporibus superficietenus adhaerent, procul dubio latet: quæ, cum primo separantur ob subtilitatem & convenientiam pabulum ignis efficiunt, et sic adauetus igneus motus, ab accedentibus particulis inflammabilibus, intertextas reliquas, ab hisce diversas, disjungit: contra vero perfectissimæ mixtionis corpora, ut aurum & argentum, quæ minutissimos poros ex coalitione intima principiorum homogeneorum possident, in igne etiam vehementissimo tantum incalescent, calcinationem vero respuant.

C 2

§. XIX.

* Conf. obs. Hallens. T. IV. obs. 17. p. 371.

** Fund. Ch. D. R. part. I, p. 21.

§. iX.

Quod itaque materiam ignis visibilis attrinet, illa ubique dispersa est, & corpora præcipue ex regno metallico ingreditur. Ignis enim, ut elementum simplex, non lucet, sed pure diaphanum est, ob summam sui raritatem.* Hinc visibilem ignem constituunt corpora inflammabilia, præcipue oleosa, quæ, secundum Excell. Bœrhamium ** pabulum igni suppeditant. Ignis, qui ex corporibus inflammabilibus pabulum arripit, ipsis materiis in igne detentis, maximam mutationem infert, ita scilicet ut pro differenti ignis pabulo, diversus etiam effectus in operationibus chemicis producatur.

§. XX.

Effectus, quem ignis edit, consistit in calore & calefactione. Calor constituit particularum ignis summe mobilium motum rapidissimum: calefactio vero supponit ipsam admissionem particularum subtilium: adeoque calor & calefactio non adeo multum differunt, & posterior nunc majori nunc minori gradu, in operationibus chemicis, pro desiderato obtinendo effectu, secundum artificis intentionem, applicatur.

§. XXI.

Ad generalia chemiæ instrumenta porro pertinet aer cuius tamen effectus paulo debilior est in calcinatione, qnia remote tantum ad corporum resolutiones concurrit. Siquidem ignis, sine liberiori aeris admissione ac motu, iners est ad destruendas mixtiones corporum; accedente autem aere, motus ignis valdopere intenditur. Omnis interea effectus dissolutorius eidem haud denegandus.

* Conf. Barthol. in Epist. Med.

** Conf. Inst. Ch. edit. Paris. pag. 206. it. Exc. Langius in El. Ph. nat. p. 11. c. II. de Flamma §. 129. 136. p. 153.

dus est in corporibus laxioris texturæ; siquidem mineræ quædam difficulter fluentes & refractariæ, ob adhærentem materiam lapideo - limosam induratam, aut aliam fluxui contraria, aeri liberiori expositæ, successu temporis ita in aere emolliuntur, ut deinde contentum metallum in igne dimittant: cui accedit etiam resolutio inflammabilis principii impuri in aere; quod metallicam liquefactionem impedit, aut tamen difficiliorem reddit.

§. XXII.

Sub mixtionis metallicæ dissolutione mediante igne & aere, tam particularum subtilium, quam crassarum, situs & locus mutatur. Modum hujus separationis quod attinet, illum ita procedere probabile est. Ignis nimirum consistit in motu rapidissimo particularum summe mobilium; (§. XVII.) hinc minimas subtilissimas particulas metallici corporis agitat: quæ maximam convenientiam habent cum igneis, prioris enim mobiles & subtiles separatur primo a crassioribus & fixioribus. Piores subtilissimæ inflammabiles jam commotæ, & a reliquis separatae; pabulum ignis constituant, quo ipse motus adhuc velocior redditur, & per auctiorem hunc motum reliquæ quoque immobiliores particulæ, vehementius concussæ, successive pariter moveri & subtilissimis ablatis, ab invicem secedere debent. Ex his concludere licet, quod ignis in corporum destructione, post minimarum particularum inflammabilium separationem, non aliter quam concutiendo agat.

§. XXIII.

Modum fiendi hujus separationis quod attinet, inservire potest exemplum, quod Excell. STAHLIVS * de distillationis operatione profert, *Ignis nimirum aut calor i. e.*

C 3

multi-

* Conf. Fundament. Ch. Dojm. Rat. p. 38. §. 6.



multitudo corporum actu motorum, movet & impellit vasis solidi particulas constituentes minimas, haec ita impulsæ, agitant particulas contenti liquoris, haec ipsæ, partim aerem in vase contentum impellunt, partim motu sui intestino attritæ illius motum augent, quo ipse aer partim in minimis sui, partim fluctuanter agitatus particulas aqueas copiosas secum collidit, easque susque deque secum circumfert, donec superiori vasis parti frigidiori & actu in minimis minus motæ vasis parti adfricentur, coarcerventur & hoc modo denuo in aqueum aggregatum, guttam, colligantur. Similem ferme fiendi modum deprehendimus in sicca calcinatione per ignem: siquidem igneas particulas minimas vasis primo impellit & motum, in eodem contentæ materiæ, per concussionem quasi communicat, motus ipse per aerem ab extra supervenientem verticillatum & prementem sustentatur & promovetur, & ex intima hac concussione & separatione particularum inflammabilium, ipse ignis mixtionem & nexus reliquarum solidarum particularum tollit, totamque mixtionem hoc modo disjungit.

§. XXIV.

In prioribus metallorum analysin, per calcinationem, quæ solius ignis interventu peragitur, exhibui. Progressior jam ad ipsa additamenta, quæ sicca adhuc calcinationi inserviunt. Additamentorum præcipua operatio consistit in inflammabilium particularum accumulazione & augmentatione motus concusiorii. Inflammabiles equidem particulae liquefactionem promovent, & cum ex superabundantia earum liquefactio & fusio plus justo intendatur & sub motu illo rapidissimo insimul particulae multæ auffugiant, metallum tandem non splendorem solummodo & colorem amittit, sed soliditatem metallicam quoque; & sic in calcem abit. Additamenta sunt salia & corpora salina, quæ non solum ob inflammabilis principii abundan-

abundantiam, verum etiam ob specificam figuram, corpora pertranseunt. Nitrum, metallis fluentibus additum, subitanea & celerrima commotione ea comminuit & in pulvere redigit, quæ comminutio non solum a crystallis nitri hastatis dependet, sed maxima ex parte ab ejus inflammabili principio, quod in calcinatione separatum, cum metalli parte inflammabili, calcinationem promovet. Lixiviosa salia, maximam metalli partem in scorias convertunt. Sal commune, ex principio mercurificante agens, metalla reddit volatilia, præcipue mineras metallicas, ita quidem, ut post fortiorum ignem, in occluso etiam vasculo, una cum sale communi fugam capiant. Acidum sulphuris prompte metalla in calcem redigit. Reliqua, quæ ex indicatis notari merentur, componuntur & decomponuntur: hinc ea brevitatis gratia sicco pede pertranseo, cum in speciaffissima de calcibus tractatione perfectorum & imperfectorum mentionem facere constituerim

§. XXV.

Absoluta jam sicca calcinatione, quæ per solum ignem & additamenta absolvitur; alteram, humidam siccitatem calcinationem adgredior. Hæc calcinatio vocatur etiam solutio & extractio corporis, quatenus nimirum chemici solutionis actum intelligunt. Quodsi vero illam materiam, quam peracta solutione obtinemus, examini subjicimus, colligimus demum materiam pulverulentam, quæ calciformem substantiam constituit. Instituitur vero humida calcinatio per fluida aut humida menstrua, quæ aliqualem convenientiam cum metallici concreti principiis continent, ita nimirum, ut in solutionis operatione, inter solvens & solvendum similitudo principiorum adsit. Metallum vero quod in appropriato solvente disjungitur, similem statim gravitatem cum solvente subit, & in eodem libere in minimis particulis fluat,

Et tuat, ita nimirum ut similia principia solventis simili-
bus soluti sese adponant, reliqua vero, quadantenus ad-
huc intertexta, a consortio solventis aliena, fundum oc-
cupent.

§. XXVI.

Humidam calcinationem iterum distinguimus in im-
mersivam & vaporosam. Immersiva est, quando metal-
lico corpori comminuto, debitum menstruum in suffici-
ente quantitate adfunditur; hoc facto ipse solutionis actus
mox incipit, quo iterum absoluto, solutum a compedi-
bus solventis triplici potissimum modo liberari potest.
Primo scilicet, si menstruum per lenem destillationem
abstrahitur, secundo, si aliud sal acidum gravius, aut lixi-
viosum, guttatum suspensa manu instillatur, quod vel ex
gravitate specifica, vel contraria actione & reactione, cor-
pus jam solutum ad vitri fundum, sub filamentorum aut
flocculorum forma, detrudit. Tertio, quando omnis solu-
tio solis radiis aut fornacis calori exponitur. Vaporosa
calcinatio proprie in corrosione successiva consistit, quæ
ita, ut verbis compendium faciam, procedit: Metallum
in destillatione corrosivi liquoris, capitello vasis destilla-
torii appenditur, quod sub vaporum adscendentium
afflitione successiva corroditur, comminuitur, tandemque in
friabilem & calciformem substantiam fatiscit. Hisce ad-
jungenda erit illitoria calcinatio, quando scilicet corpus
calcinandum, liquore corrosivo iuungitur, ut ejusmodi
particulæ corpus tale superficialiter corrodant.

§. XXVII.

Cum nulla fieri possit mixtio artificialis, sine prin-
cipiorum miscibilium cognitione, ita altera ex parte nul-
la iterum destruitur mixtio, nisi instrumentorum, quibus
fieri debet destructio, habeamus notitiam, proinde si cor-
poris

poris mixtionem dirimere volumus respiciendum est, tam ad texturam corporis solvendi, quam ad ipsa principia solventis, quæ interstitia metalli occupare debent. Ex omnibus sententiis, quæ circa verum solutionis fundamen-tum innotuerunt, illa mihi arridet, quam BECHERV^S alii-que adhuc proposuerunt: nimirum quod non solum ad solutionem & humidam calcinationem pororum conve-nientia requiratur, verum etiam, & quidem maxime, similitudo inter principia consideranda sit. Nolo con-traria sententiæ prolatæ in præsenti dissolvere, sed men-tem meam brevissimis explicare. Tribus scilicet terreis principiis, mixtorum, compositorum & decomposito-rum corporum, tria pariter dicata sunt magna solventia, quæ ex iisdem subtilissimis principiis componuntur. Aci-dum universale maximum solvens est, quod terra primæ vitrescibili & aquo principio originem debet; funda-mentum hoc est salium, quæ tantum quoad terram, cui acidum sese adposuit differunt. Differunt itaque salia in terra, volente BECCHERO, * quæ cum acido primigenio sal acidum producit: Nitrum e. g. continet acidum primi-genium cum inflammabili terra, sal commune terram ter-tiam mercurificantem cum acido universali, vitriolum terram metallicam, & sic de reliquis quæ sub decompo-sitorum solventium nomine veniunt, erit sentiendum.

§. XXVIII.

Pororum sic dicta configratio, quæ diversis princi-piis arce vel laxe, & nunc hoc nunc alio modo unitis de-pendet, ut verum fatear, supponitur; interea tamen non omni carere videtur probatione: siquidem sententiæ hu-ic non nullæ solutionis species favent: quas tamen in præ-fenti

D

* Vid. phys. subt. lib. 1. sect. 17. c. 8. p. 537.

fenti silentio prætermitto, & denuo ad primum funda-
mentum, videlicet ad memoratam principiorum simili-
tudinem in solvente & solvendo, redeo. Argentum e. g.
purissimum, quale est cupellatum, constat ex tribus ter-
reis principiis, optime mixtis, ita tamen ut terra vitre-
scibilis cum inflammabili prædominium habeat. Quodsi
nunc cum argento solutionem instituimus, respicere de-
bemus ad similia solventis principia, quæ in aqua forti aut
spiritu nitri reperiuntur. Aqua fortis enim compositum
est menstruum ex acidō vitriolico, quod vitrificabilem
terrā continet, & nitroso, in quo inflammabile principium
residet: hæ proinde principia solventis similia sibi
adjungunt, quæ per totam argenti mixtionem dispersa
sunt, scilicet inflammabilem alteram primamque vitre-
scibilem terram. Principium phlogistum, primo a reliquis
separatum, reliqua in similem motum dicit, & sic per
auctum motum concusseriorum quasi, tertium pariter mer-
curiale separatur & hac ratione tota mixtio superficialis
destruitur.

§. XXIX.

Agnoscunt hanc similitudinem ille rerum chemi-
carum peritus BECCHERV^S * & Excell. STAHLIVS ** prior
ita de solutione judicat: *Inest solventibus quedam vis & se-
minalis potestas, quæ cum metallis maximum magnetismum &
similitudinem habet, unde fortiter ea appetit. it. Hæc est vera
solutionis ratio, quod aurum spiritum salis & urinosa amet,
nam & mercurium amat, et in sale communi id ipsum est, nempe
terra terria fluidificans, quod metalla in mercurium redigit, & pro-
pter quod aurum mercurium communem appetit: argentum nitrum
amat,*

* Vid. Lib. I. Sect. V. c. 2. p. 354. num. 108. it in opusc. Chem. p. 141.

** Vid. Einleit. zur Grund Mixt. S. I. M. I. p. 27.

amat, quod in nitro sulphur, seu terra secunda sit. Posterior vero ita sentit: *Es stecket eine würckliche Verwandschaft und Gleichheit zwischen dem solvente und solvendo.* Tertius testis hujus sententiæ sit EDWARDVS KELLÆVS * qui pariter affirmativam sententiam tenet; quando dicit: *Est solutio corporis alicujus actio quedam, per appetitus, vel innatae sympathie leges inferioris classis sibi simile in habitum virtutis sue proprium dirigens.*

§. XXX.

Corporum porosiatem, cuius mentio paucis jam in præcedentibus facta fuit, a partium minimarum varia dispositione provenire, & proxime ad solutionem conferre, a multis adseritur. Hinc pori in corporibus ampli & arcti solutionis actum modificant, *qui in separatiōne partium minimarum ab expansione & transitu solventis consistit:* hinc porositas corporum solutionem quidem ad juvare, nequaquam vero efficere, potest. Siquidem si separatum est inflammabile principium ob summam subtilitatem, tunc demum porositatem observamus, quæ ad ulteriore solutionem, celeremque concussorium motum contribuit.

§. XXXI.

Imperfecta metalla, ut ferrum, cuprum, stannum, plumbum, nec non corpora metallica sive mineræ, in via humida & sicca facillime calcinari possunt. Causam tam subitanæ calcinationis ponimus in mixtione heterogenearum substantiarum, siquidem huc conferunt aliæ impuræ terræ: propterea a variis menstruis, acidis, lixiviosis, fixis, volatilibus solvuntur, quæ tam partes sulphureas terreas, quam arsenicales, separant. Duo vero

D 2

mixta

* In Discursu de menstruo vegetabili saturni, &c. Conf. Reth. Schol. Th. Chem. p. 111. p. 834.

mixta genuina homogenea, scilicet aurum & argentum, in superficiali solutione a menstruis consuetis siccis & humidis tenuissime solvuntur. Radicalis tamen solutio horum corporum, ita ut nunquam in aurum & argentum reduci possint, partim ob insufficientem solventium, quoad principiorum similitudinem, cognitionem, partim ob præpostoram sœpe adapplicationem eorundem, difficillime speratur. Hinc plurimi chemicorum in votis habent, tale homogeneum alcahestinum menstruum, quod nullam reætionem in solutione visibilem patitur, de qua solutione auri inferius; ubi de calcibus dicimus, non nulla commemoranda erunt.

§. XXXII.

Metallorum analysin consistere in sublata aggregatione & mixtione & exinde proveniente forma pulverulenta, in præcedentibus ea, qua fieri potuit, brevitate explicavi. Restat igitur ut nunc producta, calces nimirum, specialius quoque considerentur, quippe quæ, sive sine, sive cum additamentis paratae, magnam mutationem passæ fuerunt. De igne, generali chemicarum operationum instrumento, chemici fentiunt, quod nonnullas particulas, sic dictas acidas in subjectis relinquat, propter quas metallorum calces, non solum in pondere augmentum adsumunt, verum etiam reduci nequeunt. Quales vero illæ sint particulæ, qualisque proventus, plurimi chemicorum ipsi nesciunt. Hinc sententiam ancipitem, ne prolixioribus verbis pagellarum angustiae nullam habere videar rationem, silentio prætermitto. Factam alterationem per additamenta nemo facile negabit; dum ex salinis corporibus additis quædam remanent particulæ, quæ iterum per aquam separari possunt; hinc in forma hastata, si nitrum adsumptum est, aut alia concrescunt:

Calces

Calces, quas per vaporosam corrosionem obtinemus, corrosivas adhuc continent particulas, quas ex odore nares pungente, sapore fortiter adstringente & aucto pondere, conspicere licet. Id quod saccharum saturni, antimonium diaphoreticum, aliaque præparata composita, confirmant. Calces, quæ ex præcipitatione emergunt, similem sustinuerunt mutationem, siquidem tam solventis particulæ, quam præcipitantis, adhaerent corrosivæ, quæ ex repentina præcipitantis instillatione cum calce metallica ad fundum rapiuntur. Sicuti Luna soluta in aqua forti, ac præcipitata cum sale communi, in pondera valdopere augetur, & ex fixitate in sumimam volatilitatem, Lunam scilicet cornuam, transit.

§. XXXIII.

Analysis metallorum ulterius consistit in specialissima quorundam metallorum præparatione, quæ fundamentis, quæ posuimus, innititur. Paucis quoque exponam inque ordine quasdam præparationes calcium, ex perfectis & imperfectis, exponam. Levis equidem intercedit distinctio, quam nonnulli admittunt, inter calces, flores, erocos, pulveres, cum e. g. crocum Solis, Martis, aut alterius metalli, calcem nominare verentur, & floribus metallicis croci nomen tribuere abhorreant. Accedit etiam quod quibusdam metallis, quæ ex nigro colore in album, flavum, rubrum, rufescemt aut alium deflectunt, singulare nomen imposuerint; unde prostat minium, cerussa alba, flava, plumbago, nec non ex metallicis corporibus decomposita, ut mercurius sublimatus dulcis, corrosivus, præcipitatus albus, flavus, ruber, cinabaris factitia, & sic porro. Verum cum metallum, quod vim solventium siccorum & humidorum sustinuit, & quoad formam externam alteratum est, in pulverulen-

D 3

tam

ram substantiam convertatur, in genere id calcem vocabimus, quod ope generalium hactenus recensitorum solventium, ad prædictam formam redactum est.

§. XXXIV.

Sed proprius accedamus ad rem ipsam. Ex metallorum familia omnium nobilissimum eminet *Aurum*, in quo, secundum CROLLIVM*, *splendor solis ignisque cœlestis radius est*. Menstrua, quæ auri calcinationi inserviunt, sunt vel sicca, vel humida. Ad siccum quoque calcinationem refertur simplex auri trituratio, sine ignis aliorumque aditamentorum applicatione, quæ sequenti modo instituitur. Recipitur auri purissimi foliati aut comminuti, quantitas sufficiens, hæc non interrupta agitatione in mortario occluso tam diu teritur, donec in pulverem impalabilem gryseum aut nigricantem fatisfat. Ipsa tediosa trituratio, ut rite procedat, requirit peculiarem machinam, quæ ex chalibe indurato, optime polito & levigato, conficitur & undique clauditur, ne quid extranei accedat, quem doctissimus LANGELOTVS ** figuris æneis expressam exhibet, & molam philosophicam versatilem nominat. Hæc tediosa trituratio intra quatuordecim demum dies absolvitur.

§. XXXV.

Ætiologiam hujus calcinationis trituratoriæ præcatus auctor adjungit his verbis. *Wegen des Martis seiner Sulphureo-Salinischen Eigenschaft, welche als durch dieses Abreiben von seinen fesseln befreyet, und auf den höchsten Grad der Subtilität gebracht, desto mächtiger in des Goldes seinen so harten Pack hinein arbeitet, und zugleich dasselbe luft-Saltz in grosser menge an sich zeugt.* Vult sine dubio hisce indicare doctissimus auctor, peculiare martis principium, per tritura-

* Conf. Crollius in Bosil Chem. p. m. 205.

** in philosoph. Send.-Schreiben von Verwandelungen der Metallen Conf. Roth - Scholz Th. Ch. part III. pag. 538.

triturationem avulsum, auri compactum corpus dissol-
vere & in calcem convertere, quam sententiam alii quo-
que fovent; siquidem BECCHERV^S* marti metallorum ignem, sulphur, & calidum innatum tribuit: & SENNER-
TUS ita de marte sentit. *Chalib*s, inquit, *duplicem in se con-*
tinet substantiam sulphuream & terrestrem fixam vitriolatam; pri-
or separatur vel igne actuali, vel potentiali, vel utroque. Sul-
phureum hoc martis principium nemo quidem negabit,
an vero duplex martis substantia illudque principium au-
ri calcinationem per triturationem institutam, promove-
at, merito dubitamus, quippe sal illud aereum, sive aci-
dum universale, calcinationi non satisfacit, quia nullum
ingressum, ob dissimilem naturam & puritatem, invenit;
præterea hæc trituratio pariter in mortario vitro institu-
ta, ex voto succedit, ubi particularum martialium concur-
sus plane deficit.

§. XXXVI.

Calcinatio trituratoria philosophica, per addita-
mentum humidum quodammodo insipidum, institui pot-
est. Tale nimirum est ille salivalis latex, qui mane, ven-
triculo vacuo, in sufficiente quantitate, ab homine fano
colligitur & auri foliis adfunditur, & cum iisdem per lon-
gum tempus in mortario vitro aut marmoreo teritur, do-
nec miculae aureæ resplendentes disparesant & aurum in
pulverem nigricantem conversum fit. Solvens hoc insi-
pidum, auri calcinationi inserviens, non adeo multum
ad particularum auri minimarum discontinuationem con-
ferre, ratio suadet, cum absque additione hujus limpidi
liquoris, per solam non interruptam agitationem, aurum
foliatum in tenuissimum pulverem abeat: id quod aliquo-
ties experimenti successus mihi ipsi comprobavit. Ex cal-
cibus

* Conf. suppl. in phys. supp. Cap. 6. p. 658. it. opusc. chem. pag. 91.

cibus, præscripta methodo paratis, si spiritus vini rectificatissimus adfunditur, essentia flavescens extrahitur, quæ id certo præstat, quod spiritus vini per se efficere solet.

§. XXXVII.

Communis fert opinio, quod aurum per insipidum menstruum solutum, in morbis quibusdam refractariis, chronicis, divinam exerat virtutem & universalem quasi medicinam in omnibus morbis constituat, Inserviunt ejusmodi essentiis parandis, calces, croci vel flores, basin auri sic dicti potabilis constituentes. Verum enim vero, aurum quidem in rebus civilibus, hominibus quibus curta suppellex, optimum præbet medicamentum roborans & confortans, sed effectus, quem per se in medicina exerit, nullius sane est momenti, id quod *perillustris HOFFMANNVS*, * per rationem & experientiam comprobat, inquiens: *Hæc dulcis de auro in sanandis morbis opinio, partim ex ignorantia veræ physices & theorie mediceæ, modique agendi medicamentorum, partim etiam ex lucri faciendi ingenti cupiditate prima sua initia & incunabula traxit &c. & BECHERV^s ** asserit quod inter secreta numeretur solvens invenire, quod tales calces scilicet auri & argenti solvat, cum ne ipsa quidem aqua fortis propriam auri & argenti calcem solvat. Aurum itaque (ut pace B. L. non nulla de solutione radicali, pro conficiendo auro potabili commemorem) ceu corpus firmissimæ mixtionis, quod homogenea principia continet, omnium solventium vim eludit & nulla admittit, quæ non ex subtilissimis principiis componuntur. Etenim ex intima particularum homogenearum implicatione, principiæ quædam auri qualitates producuntur, quibus a reliquis metallis distinguitur, ut *gravitas ejus specifica, summa duci-**

* Vid. *Obs. Chem. Select. lib. III, obs. XXI. p. 350.*

**. *Conf. suppl. II. phys. subr. c. 6. pag. 810. num. 248. &c.*

ducilitas, quæ omnes removendæ sunt, si desideratum effectum præstare debet. Quodsi etiam concederem, quod aurum, tanquam compactissimum corpus, tenuissime comminui possit in solutionibus, ita quidem ut altissimos alembicos in destillatione transcendat & ad debitam subtilitatem perducatur: ex inde tamen illud non sequitur, remota gravitate &c. desideratam efficaciam in medicina præstare. Præterea corrosiva solventia, firmiter adhærentia, in corpore humano plus damni, quam emolumenti adferunt. Solutio quoque radicalis, quæ in præparatione ejusmodi medicamentorum requiritur, reductiōnem solutarum particularum excludit, quod confirmat, ille alchemiæ peritus scriptor *Alethophilus** quando scribit: *Die Solution muß also beschaffen seyn, daß das Gold nicht kan reduciret werden, das ist, daß es nicht mehr in ein corporalischес Gold kan concentrirret werden.*

§. XXXVIII.

Duo interea dantur solventia, quæ subtilissime aurum comminuunt, unum humidum, alterum siccum, aqua fortis regalis scilicet & mercurius currens, aqua philosophorum manus non madefaciens, quibus menstruis compositis reliqua decomposita originem debent, quæ ad solutionem auri superficialem conferunt. Etenim solutio, quæ per prædicta menstrua instituitur, tantum est superficialis & aurum iterum præcipitatum, corrosivas quasdam particulas secum abripit Nonnulli quidem solutionem aut potius calcem corrigere student, quando ex penu materiæ medicæ species colligunt, quæ tam saporem austерum tollunt & corrigunt, quam virtutem sic dictam roborantem, adjuvant; an vero effectus voto & intentioni perfecte respondeat, merito du-

E bitandum

* in philosoph. Send-Schreiben von verwandelungen Metallen conf.
Roth-Scholtz Th. Ch. part. III. pag. 538.

bitandum est. Innotuit interim ex hoc fundamento essentia auri cum *oleo cinamomi* parata, quod solutioni auri in spissatæ adfunditur, deinde essentia brunni coloris, ope spiritus vini alcoholisati extrahitur. Qualis hæc sit solutio & extractio Per illuſtris HOFFMANNVS* orbi eruditio, per institutum experimentum exposuit: scilicet post menstrui evaporationem, calci novam quantitatem spiritus vini instillavit, similemque essentiam aliquoties extraxit; ex quo sequitur, quod color & virtus hujus essentiae ab oleo cinamomi proveniant, cui virtutem roborantem & nervinam in medicina tribuimus; sed solutio simplex, per corrosiva menstrua facta, & exinde productum aurum potabile, nec roborat, nec deficientes motus restituit, hinc nessario solutio per insipidum menstruum instituenda est, si spes harum virtutum nondum decollata est. Et quid dicam de solutione auri inventriculo a succo gastrico, quam EMANUEL KOENIG ** excogitavit inquiens: *Aurum pulverisatum seu crudum, subtilissime limatum magna præstare in morbis deploratis, experientia docuit; dum sulphure suo blando, a ventriculi semialcahestino velut liquore non nihil elicito, spiritus animales solis ad instar suaviter irradiat fovet & adficit.* Quale illud sit menstruum alcahestinum, qualisque solutionis ratio in ventriculo & inde dependens efficacia irradiationis spirituum animalium, per rationem & experientiam probari nequit. Verum enim vero, ut dicitis compendium jam faciam, illud adsero, quod ex solutione superficiali frustra desideretur auri virtus roborans, confortans, vitalis, nervina, specifica, universalis aliaque incognita & occulta. Ne vero omnem laudem his medicamentis detra-

* Conf. *Ops. Phys. Chym. select. p. 334. 340.*

** in regno minerali cap. 2. de §. 1. pag. 27. in *selectu remed. p. 42. 43.*

detrahere videar, sed peritis in arte fidem tribuam, qui multa de solutione radicali, vero fundamento medicamentorum universalium, pollicentur, probe distinguendum esse existimo inter principia, quæ proxime & remote metallum ingrediuntur. Remote, omnia metalla ex principio salino, sulphureo & mercuriali componuntur, quæ tamen in puritate, impuritate variaque compositione differunt; hinc quorundam sententia, qui auri essentias magni faciunt (quas tamen aurum non ingreditur) respectu universalium principiorum, nullum dubium patitur. Interim ejusmodi essentia, quæ similes sint illis, quas aurum ingreditur, inservire potest corpus metallicum, ad antimonium proxime accedens, quod prægressa calcinatione & additione rerum convenientium, quæ colorem & saporem non ingratum suppeditant, essentiam cum menstruo vino extraclam, constituit. Hoc metallicum corpus, quod pro basi inservit, ex principiis, quæ pariter auri mixtionem ingrediuntur, in latiori sensu compositum est: proinde essentiæ auri titulum omni jure tuetur. Sed ut verbis beati STAHLI utar; *hoc est arcanum simplex, sed arcanum*; qui plura desiderat de hac materia, evolvat modo experientissimum Becherum* &c.

§. XXXIX.

Sequitur jam alia calcinationis siccæ species auri, quæ per salia aut salina corpora instituitur. Salia sunt, sal ammoniacum, commune, nitrum, alum, aliaque decomposita. Ad salina corpora pertinet, pumex, cornu cerviustum, ossa animalium &c. calcinatio ipsa dupli-

E 2

ci

* Conf. Concord. Chem. part. II. pag. 249. 250. 251. part. VII. pag. 441. vid. Croll. in Basil. Chym. p. m. 211. it. Agricola in Anmerkung über Poppens Chimische Arzneien, træft. de Auro pag. I. ad 103. Juncken in Not. ad Poppium pag. 8. Faber in philosoph. Schriften.

ci peragitur modo ; scilicet per solam triturationem in mortario , & per cæmentationem , quando foliatum aurum , cum sale communi , aut alio miscetur & mixtum aut stratificatum in fortissimo igne calcinatur , qualem calcinationem , sœpe laudatus BECHERV^s * füssus passim describit.

§. XL.

Metallica auri aggregatio , a solvente quoque metallico in via sicca disjungitur , quale est aqua philosophorum manus non madefaciens , scilicet mercurius currens . Operatio quidem amalgamatio vocatur , quam tamen in genere sub calcinatione comprehendendo . Suscipitur hæc calcinationis species , quando una auri pars , octo vel decem mercurii partibus additur . Aurum primo comminutum , ad lenem incandescentiam in tigillo perducitur , mercurius in altero , ad fumi emissionem in igne relinquitur , deinde aurum additur mercurio , quod statim in fluidam massam cum mercurio abit ; soluto auro , mercurius iterum in igne aperto auræ traditur & aurum in tenuissima ramenta disceptum , sub calcis forma colligitur .

§. XIL.

Humidæ calcinationi inservit aqua fortis regalis , menstruum decompositum , quod tam partem mercuriam quam inflammabilem adgreditur . Calx ex solutione triplici iterum modo colligitur ; primo per præcipitationem secundo evaporationem , tertio immersionem & exsiccationem . Præcipitatio consveto more instituitur per instillationem faliis lixiviosi soluti , quod aurum comminutum ad fundum detrudit . Calx , quæ post decantationem supernantis liquoris lenemque exsiccationem colligitur , audit au-

rum

* Conf. Phys. subt. suppl. II. Thes. VI. item Concord. Chym. part. pag. 797. Agricola in Not. ad Popp. de O. p. ag. 24.

rum fulminans. Evaporatio suscipitur, quando tota solutio leniori calori exponitur, ubi in fine aurum remanet. Tertia methodus consistit in exsiccatione, quando nimirum lintea cum solutione imbuuntur aliquoties, exsicceantur, tandemque in occluso crucibulo comburuntur, & calx in fundo relicta, ulteriori incandescencia a folidibus adhaerentibus depuratur.

§. LXII.

Hactenus memoratis calcinationis auri modis, adhuc unicum jungam, quem Experientissimus KVNCHELIVS* communicat. Aurum scilicet in aqua forti regali solvitur, peracta solutione solvens iterum abstrahitur, calci adfunduntur olei vitrioli optimi partes duæ, deinde destillantur omnia fortissimo igne, ubi sub destillatione, aurum jam solutum, guttatum transtillat in vas recipiens, partim etiam sublimati ad instar, coloris elegantioris sanguinei, in patte superiori conspicitur. Confirmant hanc calcinationis speciem alii adhuc chemicorum. Præcipue BECCHERVS ** peculiare experimentum communicat; das Gold volatile zu machen & auctor Alchemiae denudatae *** sine solventis abstractione dimidiam statim olei vitrioli partem instillat. Probabile etiam est, quod per additionem olei vitrioli nova decompositio emergat. Certum enim est ex principiis chemicis, quod acidum illud ponderosissimum vitriolicum promtius terram alcalinam salis communis solvat, quam nitri, quæ terra mercurificans salis communis cum acido vitriolico combinata, tertium mercuriale auri principium, summe volatile, recludit, quod cum terra

E 3

mercu-

* Conf. Laborat Chem.

** vid. Concord. Cœm. Part. II. pag. 281. 82. 83. & part. 7. num. 93.

*** pag. 509. item phys. subt. supplement. 2. pag. 762. num. 114.

*** p.m. 36. nom. 15.

mercurificante salis communis combinatum, ad similem volatilitatis statum pervenit.

§. XLIII.

Exhibui jam præciuas quasdam auri calcinatio-
nes, in sicca pariter & humida via fuscipendas. Quod
interim usum harum calcium in medicina concernit, per
se parum efficere possunt. Aurum fulminans, quod a-
liqualem effectum exerit, per os superius & inferius cru-
ditates in ventriculo & intestinorum canali hospitantes
eliminat & protrudit, Causa proxima hujus evacuationis
nullo modo a particulis auri minimis dependet, sed a sa-
linis corrosivis adhærentibus, mitigatis tamen, quæ inci-
dendo, attenuando, vellicando, motum intestinorum pe-
ristalticum auctiorem reddunt & faburram per superiora
& inferiora expellunt. In motuum quoque defectibus
scopo roborante, quædam croci præparatio valdopere lau-
datur, cuius effectum (nisi fortasse ex dulci & præcon-
cepta opinione deducendus sit) expertis in arte relinquo.

§. XLIV.

Auro, alterum ex metallorum familia nobilissimum
succedit *Argentum*, regina metallorum, quod metallum ex
tribus principiis, arctissimo pariter nexu junctis, compo-
sum est. Differt ab auro, quoad vitrescibilem terram &
inflammabilem, quæ prædominium habent. In sicca via
calces offert. Primo, quando quatuor mercurii partes, cum
una argenti purissimi in amalgama convertuntur. Per stra-
tificationem cum sulphure communi, in substantiam nigri-
cantem friabilem abit. In via humida ejus calcinatio
fuscipitur, quando argentum in aqua forti aut spiritu ni-
tri solvitur, deinde calx iterum ad fundum dejicitur, per
novam alterius metalli immersionem & solutionem, in eo-
dem menstruo, aut per adfusionem acidi gravioris, qua-
le

le est vitriolicum. Præcipitari pariter potest, per instillationem salis communis soluti in aqua, urinæ, spiritus urinæ, olei tartari per deliquium. In præcipitatione calcis, cum metallo facta, aut acido vitriolico, calx fundum occupat pulverulenta, tenuis, gravis tamen; per salia sicca vero, aut soluta, tenuissimorum filamentorum albicantium ad instar, fundam petit.

§. XLV.

Sal commune, præcipitanter loco adhibitum, quod annotationem meretur, calcem fumme volatilem accedente igne reddit, Causam volatilitatis proximam in sale communi hærere, experimentum, aliaque cum sale communi instituta, confirmant. Sali communi enim, cum BECHERO, tribuo acidum primigenium & terram sic dictam mercurificantem subtilissimam, quæ ad solutionem argenti per se nihil conferre possunt, hinc solvens requiritur quod inflammabile principium continet, quale est spiritus nitri, aut aqua fortis, quod menstruum, secundum, & ex parte primum principium separat, tertium vero mercuriale, ob terræ mercurificantis defectum in solvente, in tactum manet, quod tamen solutionem etiam & separationem subit, si mercurialis terra additur, quæ simile sibi adsociat mercuriale argenti. Volatilitatem ab ipsa accumulatione & subtilisatione horum principiorum dependere, probabile est; siquidem terra vitriolica metallica, metalla figit, & mercurialis terra, quæ in sale communi est, volatilia reddit. Quandoquidem ipse BECHERVUS plurimis observationibus confirmat, quod metallum sale ammoniaco digestum & adjecto sale Tartari destillatum, spiritus ille urinosus, metalli aliquam partem subtiliatam secum corripit, ita quidem, ut aurum huic spiritui impositum, dealbetur.

§. XLVI.

§. XLVI.

Quod sal commune terram mercurificantem continet, Luna cornua & saturnus cornuus probant, quæ producta nullis vinculis nulloque modo in igne coerceri possunt, Annotavit Excell. BOERHAVIVS experimentum, circa antimonii calcinationem cum sale communi, quod ad præscriptam ab Auctore methodum, disquisitioni aliquoties subjeci. Recepit scilicet antimonii optimi pulveris partiem unam, & salis communis exsiccati partes octo. Mixta ingeri crucibulo luto probe munito, cui alterum imposui, qui cavitati inferioris respondebat, obduxo deinde commissuras luto, & ignem, sic dictum rotatorium admovi, quem gradum per duas vel tres horas continuari: deinde separavi lutum a crucibulis, & inveni duplum materiam, unam spongiosam quasi, cineritii coloris, superficiem crucibuli occupantem; alteram nigricantem, compactam, resplendentem; prior substantia falsum & pungentem valde saporem referebat: altera, inferior scilicet, ipsum antimonium exhibebat. Omnibus probe separatis mixtisque, secunda vice crucibulis luto munitis, inclusi, & ignem satis vehementem per tres & quod excurrit horas, subjeci. Removi tandem crucibulum superius & antimonium sublimatum, instar metalli resplendentis, inveni, quod firmiter adhaerebat: in inferiori vero crucibulo aderant spicula tenuissima salina albantia, instar nitri crystallisati. Tertia denique vice omnia commixta, iterum ignis torturæ subjeci per quatuor circiter horas, deinde removi ignem, separavi lutum a crucibulis, sed nihil inveniebam & ex uncia una antimonii & octo completis salis communis, vix unum aut alterum granum pulvus cineritei coloris salini, mihi relictum est, & in crucibulo superiori, exactam effigiem antimonii impressam, tantum observabam.

§. XLVII.

* ((41)) *

§. XLVII.

Sed progredior jam ad calces metallorum imperfectæ mixtionis; respectu scilicet auri & argenti. Imperfecta horum metallorum mixtio a principiis impuris terreis deducitur. Veteres hanc differentiam metallorum in puritate & impuritate sulphuris & mercurii quærebant: sicuti TANCKIUS* in prefatione ad ROGERII BACONIS medullam alchemiæ dicit: Diese principia sint alle einerley Art und Natur, allein daß wegen ihrer Reinigkeit oder Unreinigkeit eines dem andern nicht gleich ist &c. & ipse ROG. BACO ** dicit, demnach die anfahenden Dinge, als das Quecksilber und Schwefel, rein oder unrein seyn, werden daraus reine oder unreine metalla gebobren, quam differentiam metallorum quoad terream substantiam in examine chemico a posteriori cognoscimus. In imperfectis metallis, in sua specie tamen perfectis, prima vitrescibilis basin constituit, quæ pura vel impura est. Sicuti BECHERVS *** inter principia distinguit, quod principium primum siccum & liquidum sit, opacum aut diaphanum, durum, molle vel secundo principio mixtum: Alterum inflammabile iterum duplex quoad superficiem & substantiam, siccum, liquidum, pingue, purum impurum: Tertium mercuriale similem patitur differentiam atque etiam in forma, hinc diversus color, opacitas, dulcitez, mollitez, dulcilitas &c. in metallis adsunt.

§. XLVIII.

Primum locum inter metalla imperfecta tenet *Ferrum*, quod ex terra limosa, arenosa & largo inflammabili principio componitur. Ab omnibus ferme solventibus corroditur, exceptis tamen mercurialibus stricte dictis. Per siccum calcinationem, absque additamento, in tenuissimum crocum seu

F

cal-

* Vide apud Roth-Scholz. in Th. Ch.

** l. c. cap. II. p. 107.

*** Vid. phys. subl. lib. I. sect. 6. c. 8. p. 535. nom. 4.

calcem convertitur: Sumitur scilicet limatura martis purissimæ quantum placet, hæc ollæ inclusa in furno reverberatorio, æquali & successivo igni exponitur, usque dum in superficie intumescat, & peracta calcinatione pulverem tenuissimum ex rubro nigricantem exhibeat. Præcipua hujus calcinationis manipulatio in sufficiente & non interrupta ignis admissione consistit; alias limatura martis, ad incandescenciam igneam perducta, operationis desideratum successum intercipit. Accuratiorem descriptionem hujus calcinationis suppeditavit KVNCHELIVS. Calx, quæ hac methodo conficitur, reliquis antecellit, siquidem egregie insensibilem corporis exhalationem promovet, præcipue quando cum membranistro quodam vegetabili decoquitur, rite præcipitatur, & per additionem salis animalis in magisterium convertitur; quod remedium certo certius in motuum defectibus efficaciam monstrabit.

§. XLIX.

Corroditur & ferrum in via sicca per sulphuris acidum, si ejus limatura pars una, cum sulphuris pulverisati partibus duabus vel tribus miscetur, & igni reverberatorio subjicitur, donec post fulgurationem, in friabilem rufescensem substantiam convertatur, quæ edulcorata aqua pura, iterumque exsiccata, crocum martis sulphuratum HARTMANNI constituit. Similem crocum exhibent scoriæ martiales, quæ, volente AGRICOLA, * cum sulphure iterum miscentur, quem tamen vitriolum martis nominat. Sulphur antimonii maximam ferri partem in calcem convertit, sicuti ex scoriis reguli antimonii martialis stellati, quando ex observatione BEATI STAHLII ** cum aqua decoquuntur, ex siccantur, deinde tres nitri

* Vid. Not. ad Pop. tract. de Vitriolo pag. 368.

** Conf. Obs. Phys. Chem. Med. Mens. Jan.

nitri purissimi partes adduntur, omnia calcinantur, & peracta calcinatione superfluum nitrum separatur, egregium martis aperitivum crocum obtinemus.

§. L.

Humidæ martis calcinationi inferviunt menstrua, acida & lixiviosa v. g. *spiritus vitrioli, salis, aqua fortis, acetum destillatum, vinum Rhenanum, tartarus solutus.* Acida solventia terreas particulas ferri limosas separant, deinde etiam similes invadunt, quæ cum principiis menstrui convenient. Ex missionebus solventibus *spiritus nitri* limatura martis adfusus, illam statim adgreditur & nexus partium disjungit: *spiritus vitrioli* vel ejus *oleum*, gravissimum acidum, difficilime martem solvit, quando vero solutioni succurrimus per aquæ ad fusionem, quæ particulus fixas graviores discontinuat, tunc pariter ex voto succedit solutio. Brevi dicam: solutio martis & in calcem reductio, prioribus fundamentis innititur. Per corrosionem vaporosam subtilissimum crocum obtinemus, quando adscendentives vapores, indestillatione menstrui vegetabilis, aut mineralis martem in superficie primo arrodunt, terreas particulas separant & crocum sive pulverem tenuissimum, per successivam corrosionem producunt. Cum tartaro vini Rhenani satis subtilem crocum obtinemus, quando limatura martis cum tartaro miscetur & cum aquæ communis quantitate in globulos convertitur, qui aliquoties excocti in cibano in pulverem tandem abeunt, pro marte potabili confiendo* Aqua simplex aut destillata super species antiscorbuticas, in qua prius vegetabilium salia soluta sunt, repetita adfusione, absterfione & exficatione crocum subtilem extrahit, quem beatus D. D. MICHAELIS in usu habuit. Limatura martis cum urina, in qua sal commune solutum F 2 est,

* Conf. Concord. Bech. part. 2. p. 226. nec non auctor *Chemie rational.*
artic. 19. pag. 41.

est, decoquitur, & ex siccatur iterum cum nova urinæ quantitate decoquitur, donec omnis limatura in tenuissimum pulverem abeat, qui cum aceto destillato denuo decoctus exsiccatur & in igne calcinatur.

§. LI.

Alterum ex metallis imperfectis est *cuprum*, quod terram rubram impuram, principium impurum inflammabile simileque mercuriale continet. In via sicca cum metallico menstruo in amalgama convertitur, quod iterum per destillationem aut evaporationem separatum tenuissimam calcem relinquit: sulphuris communis acidum pariter venereum corredit, si cum mineris cupreis & sulphure stratum superstratum exstruitur, materia calcinatur, & peracta calcinatione substantia ponderosa nigricans emergit, quæ proxime ad materiam illam, quam metallicæ *sporstein* oder *Kupferstein* vocant, accedit.

§. LII.

Ad humida menstrua pertinent acida & lixiviosa. Usitatoria sunt *aqua fortis* & *spiritus vitrioli*. In priori menstruo cœruleum, in posteriori viridem tincturam offert. Præcipitatio institui potest cum præcipitantibus, in prioribus jam recensitis, propterea crambem jam coctam iterum non adponam. Spiritus salis ammoniaci & vinosus & simplex, ex cupro cœruleam tincturam extrahit, cuprum solutum in calcem iterum præcipitari potest, si acidum sal solutum, solutioni additur. Cum aceto destillato per vaporasam corrosionem cuprum friabile evadit, quod sub æruginis nomine venit.

§. LIII.

Tertium jam in ordine succedit metallum, *plumbum*, metallum malleabile fluxile, quod ex mercuriali principio satis largo componitur. Coniunctum est cum ter-

ra

ra prima vitrescibili, quam ipsam in variis præparationibus per calcinationem, fusionem, reverberationem in vitri forma deponit & dimittit. Ignis, carnifex ille metallorum rigidissimus, metallicam plumbi texturam valdopere immutat, ita ut pro fortiori vel remissiori ignis gradu, flavum, cineritum, miniatum colorem induat. Sed ut verbis compendium faciam, præcipuas ejus operationes in sicca via enarrabo brevissimis. Plumbum in granula redactum, aut in lamellas extensum, tigillo luculenter candenti ingeritur, & continuo follium afflatu ad fluxum igneum promovetur; sub ipsa fusione varios colores, iridis ad instar, in superficie producit, qui statim, quando crusta cinerei coloris in superficie apparet, iterum disperant. Plumbum diutius in eodem ignis gradu detentum in cineres, vulgo *Bley-Aſche*, mutatur, si urgetur ignis prodit flavus color *Bley-gelb*, in vehementissimo denique igne flavus color mutatur in sub roseum, qui mox in miniatum convertitur, unde vulgo *Menge* innotuit.

§. LIV.

Ex menstruis humidis eminet *aqua fortis* & *acetum destillatum*; prius potentius, posterius remissius plumbum adgreditur; solventia hæc vaporetenus admissa, saturnum in pulverem tenuissimum album, ponderosum tamēn, vulgo *Bleyweiß*, convertunt. Solutio per spiritum nitri instituta, iterumque cum sale communi præcipitata, constituit calcem subtilissimam, summe volatilem, filamentorum instar albicantium fundum occupantem, cuius superius de calcibus argenti mentionem injecimus.

§. LV.

Restat ultimum ex metallis imperfectis *stannum*, quod ex terra calcaria alba, paucissimo mercurio, sulphure que impuro componitur, similes ex parte calces ac

plumbum, offert, quarum ad nauseam ferme mentionem fecimus, hinc eas hoc loco silentio tradimus, nostrisque meditationibus finem imponimus. Multa quidem de hoc argumento superercent, quæ explicationem ulteriorem & ventilationem exposcerent: verum ut limitum angustiæ rationem habeam, nec dissertatio in nimiam excrescat mollem, levidensium harum meditationum finem facio filumque abrumpo. Deo interim optimo maximoque grates debo & ago humillimas pro innumeris beneficiis hæc tenus in me collatis: eumque supplicibus veneror precibus, ut omnia mea studia & conamina in sui nominis gloriā proximique emolumentum dirigat clementissime.

F I N I S.

Errata typographica B. L. amice emendabit.

Pag. 8. lin. 1. leg. complectitur. p. 14. lin. 32. l. calcaream p. 17. 1. 2. l. comprehen-
dit. p. 18. lin. 24. l. aggregato. p. 21. lin. 16. l. priores. lin. 17. l. separantur. p. 21. in
not. l. dogm. p. 22. lin. 11. l. ignis. p. 25. lin. 26. l. que à diversis p. 29. lin. 15. l. calcin-
natione. lin. 18. l. proponam. p. 30. lin. 6. l. 1. cœlestis. p. 33. in not. l. der metallen
p. 34. lin. 6. l. exposuit. p. 35. lin. 11. l. sunt. p. 36. l. §. XLI. p. 37. l. XLII.

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO
S. P. D.
JOHANNES FRIDERICVS CARTHEVSER
MEDICINÆ DOCTOR.

Erroneam profecto sententiam, me judicante, fovent, qui amplissimam artem spagyricam circa pharmacorum preparationem tantummodo occupatam esse autemant, adeoque eandem nimis angustis includunt limitibus Chemiæ equidem studi-

studium, ut Illustris nostri HOFFMANNI verbis * utar, certe universale est, & mirifice ejus usus ad omnes artes, & scientias se extendit: imprimis vero is, qui ad solidam, in arte nostra salutari, scientiam aspirat, eo carere nullo modo potest. Veritatem hanc, quam Illustris Autor, citato loco, prolixiori & doctissimo discursu, evictam dedit, ipse quoque multis probare, & eminentem Chemie usum encomiis ornare possem, si prolixitas in praesenti placeret, & spatii ac temporis angustia, in laudes hujus artes excurrere, concederet; Sufficiat dixisse, haud quemquam, in Physica ac Medicina, solidam scientiam consecuturum, nisi in praestantissima hac arte versatus, corporum principia, quibus eruendis Chemia adprime inservit, probe cognoverit. Me quidem non latet, omnes Medicos sese audacter profiteri rationales, licet non pauci, ob neglectum Physicæ mechanicæ & Chemiae studium, veram corporum iuvantium ac laedentium naturam ignorent, ideoque nullas de effectibus, quos observant, rationes reddere valeant. Prudentius igitur, Nobilissime Domine Candidate, egisti, quod diligentiam tuam, non tantum reliquis Philosophiae ac Medicinæ partibus necessariis, sed arti spagirice quoque consecraveris, & ita tibi solidiora fundamenta comparaveris. Nunc uberrimi, & optatissimi laborum academicorum fructus certo sperandi sunt, quid? quod, primicias jam, ex cathedra, Doctoris titulo ornatus, hodie descendens, leto animo decerpis ac colligis. Gratulor itaque, Nobilissime Domine Candidate, de egregiis in arte salutari progressibus: Gratulor de honoribus Doctoralibus, quos, ad finem perducto curriculo academico, cum laude reportas, simulque ex animo precor, ut omnipotentis Numinis favor, valetudinem tuam indies fulciat, atque corroboret, vires animi ac corporis magis adaugeat, & quævis tua conamina, in praxi futura, & Tibi, & agrotantibus, salutaria esse, jubeat. Vale. Dab. die

XXV. April. M DCC. XXXVIII.

* in Praef. Epistolar. ad Perillustrem P. N. de Garelli, Observationibus Physico-Chymicis selectioribus præmissa.

Gott Wiz und Wissenschaft: in seiner Kunst geübet:
So Gott als Menschen treu: von jedermann gelie-
bet:

Erfahren mit Vernunft: ein Kenner der Natur:
Ein Meister ihrer Kraft: ein Foscher ihrer Spur:
Dem grossen Hoffmann werth: ein Freund von edlen
Sinnen

So ist mein Neuenhahn. Sprecht selbst ihr Fein-
de nun:
Muß nicht auf alle dem, was mein Freund wird be-
ginnen,
Ein ewiges Gedeyn und steter Seegen ruhn?

Dieses wolte zu Bezeugung aufrichtiger Freundschaft
glückwünschend hinzu fügen des Herrn Do-
ctorandi ergebenster

Carl August Marci
Med. Cand.

Hyæa winctet Dir von ihren Hoheits-Throne
Und spricht: Komm Edler Freund empfang das Lor-
ber-Reiß
Vor Deine Wachsamkeit, vor Deinen ächten Fleiß
Von mir zur Dankbarkeit, von mir zum treuen Lohne.
Du bist der Ehre werth; Dich muß die Nachwelt loben,
Selbst Reid und Tadelsucht, stimmt diesem Ausspruch bey.
Dass dis kein Heuchel-Wort, kein leeres Thönen sey,
Bezeugt Dein muntrer Fleis, beweisen Deine Proben:
Wohlan geschätzter Freund! so blühen Deine Fluren,
Dein Glück Dein Wohlergehni sey nie an Wachsthum leer
Dein Dir errungner Ruhm, vergehe nimmermehr
Der Seegen folge Dir in allen Deinen Euren.

Hiedurch hat seine Schuldigkeit bezeugen wollen
Desselben ergebenster Diener

T. BOCK.

L. L. Cand.

803 (o) 803

05 H 449



VD18






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-724013-p0052-2

DFG



XVIII

INSERTATIO IN AVGVRALIS PHYSICO-CHEMICA
DE
METALLORVM
ANALYSI
PER
CALCINATIONEM

Q V A M
AVSPICE SVMMO NVMINE
CONSENSV ATQVE AVCTORITATE AM-
PLISSIMI ORDINIS MEDICI
SVB PRAESIDIO

D. IOANN. HENRICI SCHVLZE
MEDICINÆ ELOVENTIÆ ANTIQVITATVM ET
PHILOSOPHIÆ PROFESSORIS PVBLICI
ORDINARI

ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATVRÆ CVRIOSORVM
ET REGIÆ SOCIETATIS SCIENTIARVM
BEROLINENSIS SODALIS

PRO GRADV DOCTORIS

A. d. Aprilis M DCC XXXVIII.
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR RESPONSVRS

CAROL. LVDOVIC. NEVENHAHN
VINARIENSIS.

HALAE MAGDEBURGICAE
Typis CHRISTIANI RIEMERI, Acad. Typogr.